Le blanc 30.

Philipp. de Malleiy

1re édition

Belles épreuves

quatre-vingts français à chaque [illegible]

TYPVS
MVNDI
in quo eius
CALAMITATES
et
PERICVLA
nec non
Diuini, humanique
AMORIS
ANTIPATHIA,
Emblematice proponuntur
a
RR.C.S.I.A.

ANTVERPLÆ
Apud Ioan. Cnobbaert.
1627.

Cum gratia et priuilegio Regis Catholici.

Quàm sordet mihi terra, dum cælum adspicio!

Phis de Mallery fecit *I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.*

S. P.

IGNATIO LOYOLA SOCIETATIS IESV FVNDATORI S.

Quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio!

Nocturnã Loyola *diem dum spectat, & aulæ*
Sydereæ vigiles, non sine lege, faces;
Cœlum ardet; cœlum suspirat; & vndique votis
Igneus, è terris emicat in superos.
Emicat; & visis animans ex ignibus ignes,
Tot patitur flammas, quot parit æthra faces:
Totus & in flammas, iam nomine teste, & in ignes
Iret; ni socias gigneret ignis aquas.

Sed velut oppoſitas fluuij petulantia ripas
Dum quatit, effuſis vincitur agger aquis:
Sic vbi, non ſolitos agitans IGNATIVS *æſtus,*
Feruet, ſe teneras eliquat in lacrymas:
Quin ſuper-effuſo latè rigat omnia fletu,
Et linguam tacitis vndique inundat aquis.
Illa ſilet, nihil ad lacrymas ſe poſſe profeſſa:
Scilicet & linguæ lacryma pondus habet.
Hæc leni interea præterfluit ora ſuſurro,
Eq́ genis ducto fonte, pererrat humum.
Non ita cogit hyems pluuias in vellera guttas;
Vt nudam niuea cyclade donet humum:
Non ita naſcentes aurora præoccupat herbas:
Non ita lactentem roſcida gemma thymum.
Non luctum vox vlla notat, ſuſpiria flammam
Nulla ſonant; mutus omnia fletus agit.
At ſimul vt luctus vox fluctibus extulit ora,
Inuenitq́ ſuos naufraga lingua ſonos:
Ingemit; & fixis in cœlum obtutibus, inquit:
Quã mihi, dũ ſpecto ſydera, ſordet humus!
At cur ſordet humus, gemino quam flumine lumen
Abluit? vnda facit puluere mixta lutum.

Tibi

TIbi ergo B. IGNATI, tibi heros fortiſſime, qui fortunæ copias, qui carnis illecebras, qui gentilium tuorum titulos, & ſi quid præterea, in hac rerum vniuerſitate mortales ſuſpiciunt, intento ſemper in cœlos vultu, & animo deſpexiſti; tibi inquam, emblematicum hunc MVNDI TYPVM, ac ſerium de *gemino amore* ludum dicamus, conſecramuſque. Cui enim potiùs? tuis fontibus rigamur quotidie; tibi refundimus, quod hauſimus ex te: tu calamos noſtros animas; tibi viuere primũ incipiant. Tu arma, quæ MVNDVS præceperat; aut certè iam pridem ſibi dicanda ſperauerat, ad Virginis tholum ſuffixiſti; vt eſſent nouæ militiæ rudimenta, quæ fuerant veteris tropæa

fortunæ. Te *vterque Amor*, in quâ luderet, palæstram elegit. Et vincere quidem visus est *terrenus*, quamdiu personâ ad gratiam ingeniosè compositâ, diuinum quid ementiens, hoc quasi merito suo, animum sibi tuum adiungere studuit. At vbi iam excreuit in luctam lusus, lucta in luctū, luctus in lacrymas; defluxit è vestigio, quæ fucum fecerat, cerussa; defloruit personæ gratia; & lutulenta *terræ* fæx, quæ in laruam hactenus coaluerat,

Furtiuis nudata coloribus,

vel inuitam se prodidit. Nec adhuc se totam prodiderat; & totam iam oderas. Satis nimirum superque erat animo vel ad *mundi* inuidiam generoso, quàm proximè à periculo abfuisse. Vicisti ergo tunc, cùm credi posses per-

perdidiſſe. Auſim dicere: numquam viciſſes; niſi ſic perdidiſſes. *Diuini Amoris* crediderim globum illum fuiſſe, quo, non tam crus, quàm animus tuus vulneratus eſt. Fœlix vulnus! quod te *mundi calamitates* edocuit, dedocuit *pericula.* fœlix globus! qui inhærentem altè pectori tuo *terræ* globum quàm celerrimè excuſſit, & expreſſo inter alliſionem tinnitu, inanias illũ ſuas explicare coëgit,

--- --- ---*iuſſitq; fateri;*
Quanta ſubærato mendacia tinniat auro.

fœlix globus! qui viam aperuit, quâ *Amorem mundi*, illudere tibi meditantem, fœliciſſimè eluderes, & *diuino* colludere diſceres. Aperuit nimirum animum tuum cœlo, *mundo* clauſit. verbo dicam: obfuit, vt prodeſſet;

perdere te coëgit, vt vinceres.

Ad tuas itaque aras B. IGNATI, qui adeò generosè victorem tuum victus subiugasti, votiuas has ingenij nostri tabellas suspẽdimus: vnum hoc dumtaxat orantes; vt opusculum hoc, si aut ex tua, aut ex sua dignitate spectetur, exiguum, si ex labore, mediocre, si ex animo, magnum, ea animi benignitate suscipias; vt ex nostro in litterarũ studiis progressu, quem tuo vnius fauore speramus in posterũ, facilè omnes intelligant id tibi quàm maximè gratum atque acceptum fuisse. Suscipies, non dubito; & clientes tuos patronus audies. Nec enim est demissionis tuæ (quæ se semper abiecit ad omnia) abiecta despicere, nec gloriæ, beneuolentiâ à nobis vinci posse.

RR. C. S. I. A.

Ad Lectorem.

AMorem hîc audis, lector? ne time; castus est. Mundum? ne expallesce; mundus est. Ludimus; sed piè. Passeres, Columbas, Corinnas nostri exhorrescunt calami, execrantur animi. Amorem profanum damus; sed vt fugias: diuinum; vt sequaris. Nec tamen iubemus te magni aliquid à tyrone calamo expectare. Iuuenes sumus, Rhetores sumus. Si grande quid expectas, ludimus. Emblemata versibus illustrare placuit, ex temporaneo pene aliquot dierum carmine, non librum scribere. Si nullum alium hinc fructum referimus; certè studuimus. Tu interim vel hoc ipso beneuoli in te animi fructu fruere, & vale.

AV LECTEVR.

CE tant dedale & renommé ingenieur Archimede, a jadis faict voir à nos ançeſtres en vne ſphere chriſtalline, parſemée des flamboyants rubis des eſtoilles ; vn prodigieux racueil de la Celeſte voute, au grand eſtonnement de Iuppiter & tous les Dieux : mais voicy à l'enuie d'Archimede dechifrée en vn petit pourtraict la demeſurée immenſité du monde ; non pas embellie de tant d'eſtoilles & aſtres, mais parſemée de mille *miſeres & perils* ; & en oultre trauaillée par vne continuelle *antipathie de deux Amours.* I'eſpere que vous la contemplerez d'vne benigne œillade ; & ferez accroiſtre ce merueille, monſtrant que le Microcoſme peut aiſement comprendre ce Megalocoſme.

VOOR-

VOOR-REDEN DES DRVCKERS TOT DEN LESER.

GOetwilligheen Leser/op dat v.l. niet en soude gheheelijck berooft blijven van't wel-genoeghen/dat v.l. soude moghen ghenieten in het aenmercken van dese Sinne-beelden/ door de welcke de ellenden ende perijckelen deser werelt lebendigh af-ghemaelt/ ende de teghen-een-strijdingen tusschen de wereltlijcke ende goddelijcke liefde claerlijck vertoocht worde: soo hebbe ick besorght/ dat tot verclaringhe der selver eenighe korte Neder-duytsche ghedichten hier zijn by-ghevoeght; trachtende hier door in v.l. dese vruchte te doen; te weten/dat v.l. door de upt-nementheydt ende schoonheydt der goddelijcker liefde ontsteken ende aenghewackert zijnde / de werelt met hare sotternijen ende ydelheden cloeckmoedelijck mach verspoeyen/ oft die ten minsten maer achten naer hare weerde. Arbeydt dan dit daer upt te trecken/ ende vaert wel.

V.L. dienstvvillighen

IAN CNOBBAERT.

Mun-

Totus mundus in maligno (mali ligno) positus est.

I. Ioan. 5.

Phts de Mallery fecit. *I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.*

I.

Mundus in ma-li ligno positus est.

OMina sunt hominum mali *pendentia* ligno:
Arbore in hac mundi stat q̃, cadit q̃ salus.
Poma quot hæc arbor, tot ramis sustinet orbes;
Non bene vis tantum tantula portat onus.
Non ferat hoc Atlas, non nubifer Apenninus;
Non pariter iunctis Pindus, & Ossa iugis;
Parnassusúe biceps, vario neque vertice Taurus:
Pars orbis toto scilicet orbe minor.
O malè fulta salus! fragili malè credita malo!
Quàm res præcipiti stat tua, munde, *loco!*
Heu quid Adame, *paras? orbem fulcire labantem?*
Impar pondus habet viribus ille tuis.
Corruet, inuoluet q̃ pari se, te q̃ ruinâ.
Corruet, hoc lentum est; ni fugis, ecce ruit.
Si nescis; putri pendent hæc poma genistâ,
In q̃ manus, digito vix bene tacta, fluent.

Hinc

Hinc fuge, nec blando nimiùm confide colori:
Ille color vermem, quem tegit, intus habet.
Mors inclusa latet: vitæ malè creditur arbor,
Quod valeat vitam tollere, virus inest.
Vescéris? ah pransos pestis populabitur artus;
Oreq́ deluso dira venena trahes.
Venturos adeò tangent ea fata nepotes,
Imaq́ natorum serpet ad ossa lues.
Poma manu prensare cave, tetigisse, perisse est:
Tangere sed nimium est, tangere velle nocet.
Et nocuit vidisse: nocet, mihi crede, videri:
Regulus hîc tacitâ prospicit è latebrâ.
Serpenti ne fide; malus latet Anguis in angue,
Te fore, fallaci sibilat ore, Deum;
Notitiamq́ boni spondet, pariterq́ malorum.
Heu mala quàm cupias noscere; plura scies!

Sans

I.

Sans l'aide d'Hercules, Atlas porteur des aſtres,
Euſt mis le ciel en piece, les Dieux en mil deſ-
aſtres :
Et quoy ? ſupportera du monde le grand pois
Vn vermolu pomier? nõ, nõ ; mais biẽ la croix.

I.

Vlucht Adam ; dwinght uw' oogh / dwinght uw'
handt/dwinght uw' ſinnen/
'Ten is noch vreught / noch vrucht/deeſ' vruchten
te beminnen.
Haer leven/is u doodt. ſy vallen; blijft ghy ſtaen?
Looyt vry ; den boom is brooſch ; de wereldt
haught daer aen.

Sic

Sic malum cæuit vnicum in omne malum.

Phls de Mallery fecit. *I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.*

II.

Sic malum creuit vnicum in omne malum.

QVondam dircæis (si vera est fabula) campis
Horrida Cadmæo semine nata phalanx:
Impia, crudelis, iurata exscindere Cœlum,
Et mox fraternâ cæde cruenta manus.
Tu quoq; Pandoræ delusus fraude Prometheu,
Sparsisti humanum virus in exitium.
Quò repetita procul duplicis mendacia famæ?
Parcite. mentiri fabula nulla solet.
Nomine si verso fias, Adame, Prometheus;
Tu Cadmus, pomum dens sit; & historia est.
Seuisti vetitâ decerptum ex arbore fœtum,
Pullulat hoc scelerum semine dira seges.
Hinc quæ non vidit, quæ non mala pertulit orbis!
Armata in nostras Terra, Polusq; neces.
Hostis homo grauis ipse sibi est, semperq; negata
Quærit, & in vitium fertile pectus habet.
Huic inflat tumidas ventosa superbia venas;
Hic sitit in rutilis, Tantalus alter, aquis;

Ille

Ille litat Cereri; se deuouet ille Lyæo;
In castris Paphiæ milit at alter heræ;
Alter in optatis sectatur mollia rebus
Otia; sed faustâ non reditura vice.
Huic animum rabido furor, iraq́ concutit œstro;
Intima huic ater viscera liuor edit.
Pæne gygantæo scanduntur sidera fastu,
Pæne Deum superâ pellere sede iuuat.
Terra caue, fremit infensi grauis ira Tonantis;
Iam tua, iam plectit crimina; terra paue.
Nónne vides, vt præcipiti ruat æthere fulmen?
Vndique disrupto sulphur vt axe pluat?
Vt ferus excussis Boreas bacchetur habenis?
Hauriat vt curuas vndaq́, morsq́ rates?
Nempe Helice, Pharos illa animi, dux optima vitæ
Cimmeriâ ratio nocte sepulta iacet.
Dirigit extinctâ clauum ratione voluntas,
Mersaq́ tot scelerum pondere vita perit.
En mala quot surgunt malè manfi è semine Mali!
Sic malum creuit vnicum in omne malũ.

O cruel

II.

O cruel changement! fiere metamorphose!
La semence d'vn fruict, quelle metempsychose!
Se change en carnaciers animaux; voir en maux,
Qui vont brisant le monde par mill' & mille fleaux.

II.

O Adam, wat een quaet heeft ons dit saet ghedaen!
Niemant en isser vry/ niemant en kan 't ontgaen.
Het vyer/de locht/de zee/de aerde draegt ons haet;
Dit seven-hoofdich dier/ door-eet ons met sijn quaet.
Ghy hebt met grootē lust dit saeykē eens gesaeyt;
Maer wy met druck en sweet/ geduerigh dat ghemaeyt.

Vt potiar, patior. Patiezis, non potiezis.

P. Mallery f. *Ioan. Cnobbaert excud. cum Priuilegio.*

III.

Vt potiar, patior. Patieris, non potieris.

STulte Cupido caue; nocet empta dolore voluptas:
Quantula, quàm certis fœta volupta malis!
Dulcia promittit mundus; sed amara propinat:
Sub mellis laruâ dira Aconita bibes.
Malim ego boletum Claudî, cœnamúe Thyestæ:
Malim ego Medeæ pocula mixta manu.
Mella putas? mellis sunt fella imitata colorem.
Vnica vix mundo guttula mellis inest.
Fella iube fieri mutato nomine mella;
Mella tamen stimulis, vndiq; cincta leges.
Balsama sic diri vallant preciosa Ceraſtæ;
Sic rosa spinoso nupta satellitio.
Heu! spoliare opibus nequidquam alueâria tentas:
Vt patiare; tamen non potiere fauis.
Erumpet portis, & totis vndique castris
Stridula mellipari te premet ira gregis.

Tur-

Turmatimq; leues quatiens stridoribus auras,
Punget, & infestâ te terebrabit acu.
Non sic torta nocent Parthi fugientis ab arcu
Tela, venenatas tela datura neces:
Nec tam præsentem morsu fert vipera pestem.
Heu fuge, mortifero dente voluptа necat.
Sincero vis melle frui? cœli vbere suge;
Inde bibes nullis illita mella dolis.

III.

Gardez vous follaſtreau, gardez vous de ces ruches,
Où ces petits archers vous ont mis des embuſches.
Le rayon eſt rauy, la proye eſt emportée :
Au lieu du doux nectar, aurez la main naurée.

III.

Wat honigh s met veel quaets / en bitterheyts te koopen ;
'Tis al te dier betaelt: maer dus om niet te loopẽ /
En ſoecken 't ſoet in 't ſuer; 't is in de zee dẽ haes /
Wen viſch in 't boſch gheſocht; 't is ſottichept 't is raes.

Quis leuior? cui plus ponderis addit amor.

Phls de Mallery fecit. *I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.*

IV.

Quis leuior? cui plus ponderis addit amor.

FRustrà Cypridis impiger puelle,
Totos niteris, atque perdis annos,
Addens pondera, ponderiq́ pondus:
Namq́ addas licet, vsque, & vsque pondus,
Et Mundos cumules Cupido Mundis,
Appendet minus vsque, & vsque Mundus.
Leuis sibilus est sonantis auræ,
Seu Neptune tua ambulat per arua,
Seu dum Flora tuum natat per æquor.
Et spuma est leuis è latrante Ponto,
Et alâ leuis est volante pluma,
Et leuis palea est, leuisq́ arundo,
Et pilus leuis est, leuisq́ stupa,
Lanugo leuis est, leuisq́ fumus,
Sunt leues atomi, leuisq́ puluis,
Et nubes leuis est, leuesq́ flammæ,
Quas ruptâ iaculatur æthra nube:

Aſt leuiſſimus eſt leuiſſimorum,
Et vmbrâ leuior leuiſſimorum
Mundus omnium; & vſque permanebit,
Dum Mundo dominabitur Cupido.
Quid bullâ *leuius, ſequace* bullâ,
Quam ſapone animans, breuiq́ conchâ
Tenelli creat halitus puelli?
At ſi dius Amor libret bilancem,
Præ bullâ eſt leuis, halituq́ Mundus.
Scis quidnam leuius putem eſſe Mundo?
Si neſcis, breuibus docebo: NIL *eſt.*

C'eſt

IV.

C'eſt vray Monde leger, que le boſüillon volage
Par l'ocean de l'air s'enuole, ram', & nage
A la mercy des vents; mais encor vous deuance
Ce bouffy diamant, au poids de la balance.

IV.

Waer toe al dit ghewichte
De werelt is te licht.
Den bobbel van dit kindt,
Is zeepe/loeght/en windt:
Waer deſen aerdtſchen bol
Is ydel/vooſch/en hol:
Ja anders niet dan niet/
Met eenen ſchijn van iet.

His vestitur orbis.

Phls de Mallery fecit. I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

V.

His vertitur Orbis.

ESt Vertumnus Amor, formas se fingit in omnes;
Talia, si Protheus quis fuit, ora tulit.
Tela vibrat miles; venator retia tendit;
Nunc prece, nunc precio, nunc agit ille minis.
Nunc tonitru, trisidæq; imitatus cuspidis ignes
Ima crematuras spargit in ossa faces.
Ludit, & illudit positis nunc histrio telis.
Munde, caue tectos in tua damna dolos.
Spicula ponit Amor; sed tu ne pone timorem;
Est arcus, flagrum quod puerile putas.
Mox iterum aptato lunabit cornua neruo,
Lethalisq; tuum figet arundo iecur.
Ludenti ne crede; magis confide furenti;
Ludicra nam sequitur serius ista dolor:
Serius & serus; cum diris cincta colubris
Alecto Stygijs protulit ora vadis.
Trãsit ΕΡΩΣ in ΕΡΙΣ: Odiũ comitatur Amorẽ,
Aut sequitur: turpi nulla in Amore fides,

Nulla fides, & nulla quies. Inuertitur Orbis,
Ludere cùm Cyprius cœperit Orbe puer.
Ac velut inflicto volitans sub verbere turbo,
Voluitur in gyros, seq; sequendo fugit;
Dant animos plagæ, plagas puerilia lora;
Sic Odium *hinc Mundum, sic* Amor *inde rapit.*
Ductus Amore *Paris, Ledæi prædo pudoris*
Vela per AEgeas barbara fecit aquas:
Hinc illæ lacrymæ: Danaas Odium, *iraq; dextras*
Vertit in exitium Troiæ superba tuum.
Idem Amor *AEneam tot Ponti erroribus actum,*
Coniugia, & Latias quærere iussit opes:
Ast Odium *Turni stimulans præcordia totis*
Anguibus, in Teucros compulit ire duces.
Sæuit Amor *thalami, mentes fera versat* Erinnys:
Sic geminâ Latium, Troiaq; peste perit.
Auri Amor *in Parthos Crassū impulit; arma retorsit*
Mox Odium, *& flauo mersit in imbre caput.*
Regni Amor *in patriam conuertit Cæsaris arma;*
Patrum Odio *patriam sanguine tinxit humum.*
Terrarum dominâ quid fortius vrbe Quirini?
Et potuit Romam *vertere solus* Amor.

Mille

V.

Mille tours, & retours ioue la giroüette,
Quand l'eſpoux de l'eſté le doux Zephyr halette:
Ne t'eſtonnes doncq pas, que la ſphere du mõde
Battue de ces foüets vire de rond' en ronde.

V.

Wat is dit voor een kindt/
Dat met een ſoet ghewelt/
De werelt dus ontſtelt?
De Liefde. Wat een quaet
Moet ons dan doen den Haet?
Neen/neen; de Liefde wint.
Veel quader is den hondt/
Die t'ſamen ſpeelt/en bijt;
Dan die u van uw' wond'
Met ſijn ghebaſch bevrijt.

In cruce sola quies.

Ioan. Cnobbaert excud. cum Priuilegio.

VI.

In cruce ſola quies.

QViſquis amas nullâ vitiatum nube ſerenum;
Quiſquis amas nullo gaudia læſa metu:
Huc ades; & tacitâ quæ venit ab icone, vocem
Accipe: lex Orbi nulla, nec vlla quies.
Aſpicis, vt puer hic oculo, pede, mente, manuq́
Inſtabili ſtabilem quærat in Orbe fidem?
Mille agit in gyros, in ſpiras mille, mæandros
Mille; nec ex vſu ſpes venit vlla moræ.
Scilicet innumeris ruit orbibus Orbis in orbem,
Et partes ſequitur ipſe, fugitq́ ſuas.
Miles es? vt crebrò vigiles tuba Martia lunas
Imperet; at famæ crebriùs æra vocant.
Nempe ſecunda ſuis niſi te fortuna maniplis
Augeat, vt ſuadent ſomnia; nulla quies.
Dux es? ni totis tibi belli gloria caſtris
Militet, vt ſpondent ſomnia; nulla quies.
Diues es, & magnas metuunt exilia meſſes
Horrea? ſi qua ſeges æmula; nulla quies.

Si qua recenſenti dominos face iudice nummos
Adſtrepuit folio virgula; nulla quies.
Prodet inacceſſas nimirum frondea gazas
Lingua, nec arcano te ſinet hoſte frui.
Si qua per occluſas aut lux, aut vmbra feneſtras
Furtiuo penetrat ſepede; nulla quies.
Vmbra tegit fures; lux omnia prodit; vtrique
Inuia, vel caſu hoc indice, nulla via eſt.
Cætera quid memorem? tecum fraus, liuor, egeſtas,
Tecum habitat triſti luridus ore dolor.
Vidit, & invidit, cumuloq; ſuperflua dempſit
Mulciber: at verſis ſors vbi nigra rotis;
Soli innixa Deo perſtat, quæ fulta caducis
Spes erat illecebris; in cruce ſola quies.
Bellica LOYOLAM *quot fregit adorea curis?*
At ſimul ac Gallo vulnus ab hoſte tulit:
Sola tenet placidam curâ pax exule mentem;
Solus regnat Amor; in cruce ſola quies.
Vis ſit in Orbe quies? fac vt Orbis neſciat Orbem,
Inq; crucem incumbat; in cruce ſola quies.

VI.

Tu trauailles en vain, voulant que ceſte boule
Sur le paué vny de la table ne roule :
Si tu veux Cupidon veoir ſe globe raſsis;
Que le poids de la Croix ordõne ſon pourpris.

VI.

Wat blucht-gheſinden luſt
Is dit/die nopt en ruſt?
'T is 't ongheſtadigh ſpel
Des werelts/die 't ghequel
Van hare luſten iaeght/
Tot dat haer 't Cruys behaeght.

Latet hostis, et otia ducis?

Ioan. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

VII.

Latet hostis; & otia ducis?

PAlladis auspiciis stetit ingens gloria Troiæ,
Diues opum, factis inclyta, Marte potens;
Dum labor, & solers defendit mœnia Virtus,
Curaq́ peruigiles constitit ante fores.
Aſt vbi fugerunt cum Pallade Palladis artes,
Arma vbi cum longo seposuere metu:
Incustoditos mox scandit machina muros
Fœta viris, Graiæ lugubre fraudis opus.
Quos non mille rates, nec vis, nec tela, nec enses,
Non Mars, non anni perdomuere decem;
Otia damnarunt somno, vinoq́ sepultos;
Vnica tot Regum nox populauit opes.
Euigilate Phryges, latet intra mœnia pestis:
Hostis habet muros; euigilate Phryges.
Dormiuêre: sopor ligat ægros vltimus artus,
Victaq́ claudit iners lumina credulitas.
Diffugiet somnus, piceo cum fumeus ore
Inuisum faciet Mulciber ire diem:

Barbaricum victrix cum cinget flamma cubile,
Et Priamum pictis exciet è thalamis.
Serò Phryges sapient: sic constant otia magno.
Otia, qui falso niteris Orbe, fuge.
Otia quæ blando canit Orbis murmure, fallunt:
Maior in Orbe dolus, quàm Phryge clausus equo.
Non Ithacus, fallaxúe Sinon hac delitet aluo.
Mille latent pestes, funera mille latent.
In Cyprios fera mille parat tormenta nepotes,
Mille parat vindex Thesiphonea faces.
Non tam pestiferos accendit Vesuius ignes,
Nec tam funereis æstuat Æthna rogis:
Ah! æstus Venerem non exsudabis ad istos?
O puer in pœnas desidiose tuas!
Bis malesane puer, vitâ cum ludis, & igni!
Funera quæ rabies Empedoclæa sequi?
Nitrea sulphurei subter te pulueris olla,
Ingens olla, leui mox animanda face;
Proripe te, fundo mox Terra dehiscet ab imo,
Styx tibi mox vastos pandet opaca sinus.
Ignes igne doma: Mundum fuge, Cyprida vita:
Materies flygijs non magis apta focis.

Hola

VII.

Hola! esueille toy; que Morpheus le pipeur
Glissé dedans vos yeux ne te plonge en malheur.
Voyez que de bien pres talonoit la ruine,
Le feu s'estant des-ja faict maistre de la mine.

VII.

Blÿft dit vyer ongheblusch t/
Vreest ghy de minste pÿne;
Hoe slaept ghy dan gherust
Op dese helsche mÿne?

Occi-

Occidunt vtraque risu.

Ioan. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

VIII.

Occidunt vtraque risu.

NOn tantùm ingentes habitat mors effera rictus;
Non tantùm libycas horret arena iubas:
Maxima sunt minimi nonnumquam vulnera dentis;
Maxima sunt minimæ sæpe venena feræ.
Testis Arachnæo metuenda Tarantula vultu es,
Cum tua mortifero gutture fella vomis.
Thessala te posito venerantur gramina tabo,
Præstituitq; suis Itala terra malis.
Stellio luce nocet, boa frigore, flumine natrix,
Vi iaculus, visu regulus, igne draco;
Sed tua (quis tantos vel Vlysses sentiat æstus?)
Immodico risu blanda venena necant.
Vix lepor os reserat; mors occupat; insciа ridentis
Labra; natant lacrymis lumina funereis.
Scilicet ignarus vicini funeris augur
Risus, præsagas cogitur in lacrymas.
Nec tamen interea læto pede plaudere terram,
Nec piget immodicis soluere fræna iocis;

Ventu

Venturi donec metuens ruat in tenebras sol,
Et radio terras emoriente legat.
Toxica tum subeunt, subit & Libitina; suoq3
Victa lepore, die vita cadente cadit.
Phoebe Thyestæo quid ferris in auia cursu?
Flecte rotam; aut Mundi si scelus omne fugis;
Perde diem, & terras æternâ nocte fatiga:
Nil hoc ad Mundi toxica virus habet.
Si necat immodico funesta Tarantula risu;
Dulciùs ille nocet; certiùs ille necat.
Testis, Agenoreæ Chilon quem gloria palmæ
Prima coronatis composuit manibus;
Testis Arabs, testes tumuli, quêis nomen orexis,
Sæclaq3, quêis vnam mors dedit vna ratem.
Atque vtinam hoc ipsum, miseri, quod degimus, æui
Lethiferos Mundo non gemat esse iocos!
Ecce ciet digitos tremula cum voce loquentes,
Et Capitolinis gaudia nata cibis:
Nec mora terra fremit, ruit æther, fulminat ignis,
Et stygias subito funere plangit aquas.
I nunc, & Mundi lethalia spicula ride;
Ebria si tanto gaudia melle necant.

Que

VIII.

Que ſi la Tarantule vous at à fleur de peau
Doucement chatoüillé par ſon fatal muſeau;
Tu meurs en riotant: tel eſt le faux plaiſir
Du monde deſloyal; car ſon rire eſt mourir.

VIII.

Ghelijck den ſoeten beet
Der Italiaenſche ſpinn'
Soo ketelt/dat het ſweet
Vt neemt en ziel'/ en ſin:
Soo ded' de werelt opt;
Haer lachen is ons doodt.

Fru-

Feuſtra: quis ſtabilem figat in orbe gradum?

Ioan. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

IX.

Fruſtrà: quis ſtabilem figat in orbe gradum?

HVc ades, elatas qui tollis in æthera criſtas,
Plenaq́ ventoſo pectora folle geris.
Huc ades, aggeſtum patulis qui faucibus aurum
Rimaris nimias Tantalus inter opes.
Huc ades, Idaliæ cui torrent viſcera flammæ,
Cæcaq́ vipereus corda ſagittat Amor.
Diſce tuos luctus: votorum è culmine præceps
Decidit, ancipiti qui locat orbe pedem.
Nil ætas, nil forma iuuat, nil fulua metalli
Lamina, nil forti parta trophæa manu.
Inde cliens Pluti, laudum præco inde ſuarum,
Multus & AEgyſthus, multaq́ Phædra ruit.
Ipſa ſuis veniat variata ſuperbia plumis;
Hinc malè lapſurum corpus in aſtra libret.
Ipſe adeò Plutus præceps eat, ipſe Cupido:
Ille grauis nummis, arcubus ille minax.
Nempe gradu ſtabili conſiſtere neſcius orbis,
Ingenitâ ſeſe mobilitate rotat.

Non

Non ita ſiſyphiæ pondus reuolubile molis
Vertitur, è ſumm o cùm petit imaiugo.
Vis ſtabili firmare loco veſtigia? CHRISTVS
Eſt petra quadra, quadro fige pedem lapide.

Gar-

IX.

Gardez vous de monter, esceruelé Päon :
Ce Plute fracassé, ce culbutant garçon
Crient: fuyez, fuyez du Monde l'inconstance,
Si tu ne veux courir risque de decadence.

IX.

Welluſten/eer' en gordt
En is maer ebb' en bloedt:
Men ſiet het al vergaen;
't Is quaet op bollen ſtaen.

Mundi me lapsus adauget.

Phls de Mallery fecit. *I. Crobbaert exc. cum Priuilegio.*

X.

Mundi me lapsus adauget.

HOc quod suspicis, hoc quod obstupescis,
Quo spes culmine fabricas superbas,
Quo dicta est lare Firmitas morari,
Quæ visa est statio Perennitatis,
Tutelæ domus, & Salutis ara,
Vitrum est, vel vitreum quid esse vitro
Si potest magis. His ruina tectis
Legit perpetuos sibi penates.
Præceps labitur, occiditq; Mundus,
Crystallus Venetis gelata flammis
Vt leui ruit, interitq; flatu.
His vultum speculatur in ruinis,
Et sese malè recreat Cupido,
Sic est: in vitium ruente Mundo
(*Et en quàm facilis ruina* Mundi)
Crescit lapsibus omnibus Cupido;
Culpam culpa trahit prior sequentem,
Et simul paritur, paritq; noxa,

Et noxas parit vna noxa mille,
Vt flammas parit vna flamma centum.
Nempe fertile ſemen eſt malorum,
Princeps principis vt Parentis omnes
Lapſus vnicus iuit in nepotes:
Errat hinc calor oſſium per omnem
Deuoratq; medullitus medullam
Incautus raperis, propelleriſq;
In Paphumq;, Tyrannidemq; Amoris;
Mox & ſponte ſequi iuuat ruentes,
Et dulce eſt ſocios habere culpæ,
Vt dulce eſt ſocios habere pœnæ;
Et palàm pudet eſſe te pudentem,
Omnes cùm videas palàm impudentes;
Et magis iuuat eſſe te impudentem,
Omnes cùm videas parùm impudentes.
Creſcit lapſibus his, & his Cupido.
Multi olim Hippolyti, Pariſq; rarus;
Nunc (o tempora, Temporumq; mores!)
Rarus Hippolytus, Pariſq; multus.
Audi vota Deus, pudica vota:
Sint multi Hippolyti, Pariſq; nullus.

Audi Cypridis impudice miles:
Mundum *si fugis; occidit* Cupido.

X.

Si le glacé cryſtal, auquel Venus ſe farde,
Viét à gliſſer des mains d'vn mignõ de ſa garde;
On en voyt dix à douz' pour vne ſeule face:
La cheute d'vn vault-rien en mille lieux le place.

X.

Ghelijck den minſten bal
Van een ſeer bzooſch ghelas/
Verbeeldt in groot ghetal
Het beeldt dat eenigh was:
Soo baert den eerſten bal
Des werelts/ſonder ruſt/
Veel quaets/en luſt tot al:
Ja ſoo daer iemandt malt/
Een peder volght/en balt.

Donec totum expleat orbem.

Pol. de Mallery fecit. I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

XI.

Donec totum expleat orbem.

QVæ Dea falcatos toties se curuat in arcus
Par Proteo ancipiti statq́, caditq́ globo,
Postq́ senescentis dispendia menstrua formæ
Crescit; dum toto Sideris orbe micet:
Sic dubio calet igne Venus; sic æmula Phœbes
Orbis *in exitium cornua lunat* Amor.
Perq́ diem, & tenebras, per dãna, per arma, per ignes,
Per lucra, per somnos, otia, vina, dapes
Crescit, & accrescet, donec totũ expleat orbem.
Pœnè simul iunctæ iam coiere manus.
Quæ genua extremo non tangit pendula limbo
Fluxerat in teneros Synthesis antepedes.
Brachia nuda breues (prius vtraq́ longa puello).
Prostituunt manicæ: Tempore crescit Amor.
Dum nondum annosâ lustrabat lampade terras
Phœbus, & in cunis, ac tener Orbis erat;
Candidus, & simplex, castus, syncerus, inermis
Ipse suum implebat nomen, & omen Amor:

Cypris adoptiuo dederat nulla vbera nato ;
Sola sed infanti Gratia Mater erat;
Nôrat adulantis nec adhuc dare blæsula vocis
Signa,nec in blandos texere verba dolos;
Non habiles pharetris humeri,non dextra sagittis,
Non arcum poterat flectere molle genu:
Furta Venus docuit,docuit Venus improba fraudes,
Aptauitq; rudes ad noua bella manus.
Quæ modò tela iacit diris imbuta venenis,
Parua equitaturum vexit arundo Deum;
Et quondam innocuis præluſit puſio flammis,
Qui modò tartareas ſpargit vbique faces.
Scilicet improbitas cum corpore creſcit,& annis;
Dum vitæ,& morum eſt lecta Magiſtra Venus.
Dens fuerat ſtringendus in hunc Saturne,vorandus
Hic tibi præpueris omnibus vnus erat.
An taciti metuenda mali vis vlla,vel ignis?
Nec facit ad ſtomachum tam leuis eſca grauem?
Flamma gelu recreat , ſtomachum leuis eſca ſenilem,
Parua nec eſt teneri vis metuenda mali.
Nî pereat,perimet: paucis ſi vixerit annis,
E toto victor vinciet orbe comam.

At tu naſcentes extingue Cupidinis ignes
Qui legis hæc: vinci neſcit adultus Amor.

XI.

Aux deſpens du Soleil la deeſſe bicorne
R'agrandiſt chaſque nuict ſa cheuelure blonde:
De meſme Cupidon impatient de borne,
A tes deſpens mortel, engage tout le monde.

XI.

De mane loopt te poſt/
De ſonne doet den koſt;
Hoe meer dat ſy haer ſpoeyt/
Hoe meer ſy wint/ en groeyt;
Dies nopt en wilt ſy ſtaen/
Haer rond' en zy ghedaen:
Soo 's werelts ſotten luſt
Loopt/wint/groeyt ſonder ruſt/
Tot dat ſijn ſoet bedwanck
De werelt oberbanckt.

Non amat is te; sed hamat amor.

Phls de Mallery fecit. *I. Crobbaert exc. cum Privilegio.*

XII.

Non amat iſte, ſed hamat Amor.

QVæ plaga laſciui plagas non ſentit Amoris?
Quæ loca pernici non adit ille pede?
Non tantum vranimâ funeſtat lampade terras;
Aſt etiam medijs ardet, & vrit aquis;
Nec pharetram tantum, pharetræ neq; ſpicula pondus,
Sed gerit hamatis retia plena dolis;
Nam modò piſcator, modò nauita cærula verrit,
Quoq; canit Siren gurgite, fallit Amor.
Ille quidem blando promittit munera vultu;
Munera ſed fraudem perniciosa tegunt:
Si captas, caperis: ſic credulus adnatat eſcæ
Piſcis, ab hamatâ mors dape certa venit.
Hamat Amor *Mundi. Qui Mundi munera captas,*
Prædo miſer prædæ præda eris ipſe tuæ.
Ille videt Veneres, exardeſcitq; videndo;
Dum videt, ardentem captat, & hamat Amor.
Iſte per amfractus vmbram venatur honorum;
Venatorem vmbræ captat, & hamat Amor.

Quærit auarus opes, & fuluæ pondera curæ;
Quæstoremq; auri captat, & hamat Amor.
Quemq; sui sensus, sua inescat quemq; voluptas;
Se finit hic oculis, auribus ille capi;
Hi pereunt tactu; sunt illis hamus odores;
Hos Cerere, hos Baccho captat, & hamat Amor.
Omnibus vsquè locis tibi retia ponit, & hamos;
Quo minimè metuis gurgite, captus eris.
Sæpe tibi streperis fert cominùs oscula labris;
Oscula dum fingit, non amat, hamat Amor.
Conquereris? queritur: mœres? mœrere videtur;
Mœrore, & questu non amat, hamat Amor.
Illacrymas? sociæ pœto nant lumine guttæ:
Non amat *his lacrymis* iste, sed hamat Amor.
At tibi lasciuis si blandum arridet ocellis:
Non amat *his hirquis* iste, sed hamat Amor.
Cypro missa graues si mollit epistola curas:
Mollia scribendo non amat, hamat Amor.
Ipse adeò (& quis iurato non fidat Amori?)
Si tibi iuret, amo, non amat, hamat Amor.

XII.

Veux tu ſçauoir pourquoy Cupidõ porte-fleche
A chãgé l'arc en rets, sõ vieux meſtier en peſche?
Pour te conduire à mort: fuyez à toute force;
La mort s'eſt deguisé du maſque de l'amorce.

XII.

Ghy meynt dat u dit kindt
Dt een goedt hert bemindt/
Om dat het 's werelts aes
Dſchincken wilt: eylaes!
'T is al kout voor den baeck;
Het aes bedeckt den haeck.

Quam graue seruitium est, quod leuis esca parit.

Ioan. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

XIII.

Quàm graue ſeruitium, quod leuis eſca parit?

REs magis eſt elegis, an Comi digna theatro,
Quam gerit hic infans, quã docet Orbe geri?
Laxabis frænos hîc fletibus Heraclite,
Hîc rumpet ſplenem, ſat ſcio, Democritus.
Ore trahit fumos, placet hic præ nectare ſuccus,
Dum cohibent vinctos pondera dura pedes.
Nec fugere hinc labor eſt; potat, ſedet, oſcitat, hæret,
Infelix! dominæ tanta libido gulæ!
Sic poterat patrio quæ libera ludere cœlo
Luditur, & tenui pro dape ſeruit auis.
Credite Poſteritas, perierunt ſæcula pomo;
Credite, puls ſeruum paucula fecit Eſau:
Credo ego; nam diri facimus peiora nepotes:
Nempe eſt à patribus degenerare pudor.
Fumus opes, & fumus honos, fumuſq; voluptas,
Et ſpeciem fumi, quidquid amamus, habet.
Et tamen (heu lacrymæ!) quem non hic fumus ineſcat?
Fumea quem flendo non premit eſca iugo?

Miles

Miles agit vigiles hyberno ſidere noctes,
Solis & æſtiuo toſtus ab igne dies;
Bella domi deſunt: peregrinâ bellat arenâ,
Vulneraq́ alternâ dat, recipitq́ manu;
Hoſticaq́ audaci complexus mœnia niſu
Non procul à mortis finibus exul abit:
Scilicet vt digito monſtretur, & audiat: Hic eſt:
Tam graue ſeruitium tam leuis eſca parit.
Per mare mercator, per inhoſpita ſaxa, per ignes,
Imaq́ per terræ viſcera quærit opes;
Pluſq́ mari vario curarum fluctuat æſtu,
Pluſq́ ſuis ratibus, quas fera iactat hyems;
Vt numeret paucos, precioſa pericula, nummos:
Tam graue ſeruitium tam leuis eſca parit.
Quæ non Galeno breuis eſt Cenſore voluptas?
Seu tua ſit Liber, ſeu tua mœcha Cypris?
Quot tamẽ hinc peſtes? caput hæc grauat, altera pectus,
Et ligat illa manus, & cremat illa pedes,
Iſta ſibi renes, hæc omnes mancipat artus,
Mens quoque captiuo in corpore ſerua gemit;
Et gemit, & Cœlo nequit ægros tollere vultus,
Et nequit, & non vult; ſi ſinat eſca, volet:

Velle

Velle vapor prohibet: trinos Mundi abijce fumos
Sic tibi Libertas, sic tibi parta Salus.

XIII.

Ce muſicien des bois pour vn grain de pauot
Quitte ſa liberté, change boſcage en cage:
Mais, helas! Cupidon, tu me ſembles plus ſot,
Pour vn repas fumeux careſſant l'eſclauage.

XIII.

Loopt kindt/uw' boey is los;
Vlieght voghel/kieſt den boſch:
Sy ſitten beyd' gheruſt/
Niemandt en heeft daer luſt/
Om los te gaen en bly;
Sy ſoecken ſlauerny/
Om aerdtſchen roock/en ſaet:
Soo goedt dunckt ons het quaet.

Non omne, quod hîc micat, aurum est.

Phls de Mallery fecit. *I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.*

XIV.

Non omne quod hîc micat aurum eſt.

CErnis vt ora retro velut indignantia vertat
Cœlicus ille Argus, Lynceus ille puer?
Erroríne ſuo ſuccenſuit, inquis? aberras.
Errorem ſimulat ſæpe, nec errat Amor.
Mundi aperit fraudes veri arbiter æquus, & index:
Illius indicio, iudicioq; ſape.
Indignatur Amor? *Mundo indignare viciſſim;*
Lumina vertit Amor? *tu quoque verte tua:*
Ni facis, illudet; ceu lumina tot labyrinthis
Ludit inæqualis fraus polygona vitri.
Mille putas, cum ſit vix aureus vnus, & alter:
Ars nummerum fingit, fingitur arte color;
Quotq; putas nummos, tot nūmûm conſpicis vmbras:
Sic fallunt, quæ te iudice, Munde, micant:
Ars tua, mentiri eſt. Craſſi ſi diuitis arcam
Lucrinæ rutilo farciat ære fauor;
Eſſe putat Crœſus, nunc odit nomina Craſſi:
Binos muta apices, Crœſus, hic Irus erit:

Iamq; vel omne tenet, vel ſpe iam poßidet aurum
Quod ſol eous, quod coquit occiduus.
Nummi animos augent, Mundi fallacia nummos
Creſcit opum eſuries, mens ſtatione ruit.
Si qua peregrino veniat de littore puppis;
Illa mea eſt puppis, clamitat, illa mea eſt.
Si qua ſeges fœlix vicino pullulet aruo;
Quàm mihi, ait, lætis ſtat ſeges iſta comis!
Anglia huic ſoli ſua tingit vellera, ſoli
Spumant Rhenanis condita muſta cadis.
Gignit huic è rore nouo Piſcaria gemmas:
Terra aperit niueos huîc Peruana ſinus.
Semina raporum vidit flaueſcere campo?
Ecce meis aurum naſcitur, inquit, agris.
Et ſibi mancupio cœli prope vindicat ignes,
Quas putat ex auro nobiliore Roſas.
Non ita turba furit nocturno ſaucia Baccho,
Quando natat multo mens ſine mente mero.
Ara vbi ſtat calicum geminatis clara lucernis,
Rara vbi cum niteant lumina, multa vident.
Ebrietas furor eſt, furor eſt ſpes improba nummi,
Ebrietas breuis eſt, longior iſta furor.

Somnia

Somnia, Craſſe, tibi mens ægra, vel ebria dictat;
Euigila; nullas eſſe videbis opes.

XIV.

Ce voirr' poinctu donnant aux aſtres la brauade
De mil ducats fauſſez faict artiſte parade:
Or quitte ce faux voirr', & vois où tu te plonge,
Pour l'ombrage du biẽ, pour vn doré mensõge.

XIV.

Dat gout dat cuckel bas
Verdobbelt dooz dit glas/
Leert hoe de werelt lieght/
Leert hoe sp u bedzieght.
Sp is soo metter daedt
Gheslepen in het quaedt/
Sp bzinght u wel veel an;
Maer daer en komt niet van.
'T en is dogh al gheen gout/
Dat blinckt: schouwts' eer 't u rouwt.

Hic

Hic oritur tenebris splendor, et immoritur.

Ioan. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

XV.

Hic oritur tenebris splendor, & immoritur.

ECce tibi niueæ gemino velut æquore chartæ
Archetypi vnius viuit imago duplex;
Artifici vitro, tenebrisq; animata diurnis
Vtraque; sed solem largiùs illa bibit:
Hæc vix gustatâ perimit se luce, tenebris
Illa oritur modicis, hæc moritur nimijs.
At quis Prototypon? Mundus, tuq; assecla Mundi
Cui venit à formâ grande supercilium,
Quiq; tuas vestes, auis vt Iunonia plumas,
Aspicis, & demens te, velut alter, amas.
Ipsa tuos fastus imitata superbit imago,
Mimaq;, quidquid agis tu foris, intus agit.
Sed moritur noctis cur filia noctis in vmbrâ?
Tam citò nox mater facta nouerca fuit?
Scilicet æternis mors obruit atra tenebris,
Quem genuit scelerum nox tenebrosa, diem.
Cùm scelus innocuas nullâ caligine terras
Imbuit, & næui mens sine nube fuit:

Nullâ

Nullâ mersa Tyro velarunt vellera corpus,
Et nituit fuci sat sine luce color:
Cum menti eripuit Stymphalis Cypria solem,
Mendicus variâ splendicat arte decor:
Tunc ferro crispos videas vndare capillos;
Cerussata niuet frons, miniata rubet.
Nec minus Ambitio tenebras offundit inertes,
Nec minus externæ lucis adoptat opem.
Nunc nitet in Cressâ, Tyriâ nunc luce renidet,
Herme tuo lucet munere, Erythra tuo;
Est quem nunc Francum, quem nunc mentitur Iberũ,
Nunc Hybridam vestis, nunc docet esse nihil:
Quot formæ, Proteus noua tot se vertit in ora;
Esse putes mimum, scena sit Orbis, erit.
Ast vbi mors tollit ludis aulæa peractis,
Aut vitæ quintus, dicitur, actus adest,
Tunc splendor splendore caret, lux lucis egena est,
Rursus, & in tenebras, vt fuit ante, redit.
Tunc crines sine lege iacent, sine murice corpus,
Fictaq; de picto demigrat ore dies.
Qui modò sol fuerat, mox ipsâ vmbrosior vmbrâ
Incubat exuuijs, Dux Saladine, tuis.

Scilicet

Scilicet exilis velamina linea texti
Tot Veneris partus, & breuis vrna, tegit.

XV.

Ton luſtre, ton eſclat ne peuſt auoir durée,
Iſſu d'vn brun neant, tenebres & fumée:
Mais cõme tout l'on voyt eſuanoüyr en poudre,
En ſon tenebreux rien, on le verra reſoudre.

XV.

Dees' duyſterheydt ſoo dicht
Is moeder van dit licht;
Maer woydt sy wat te groot/
Sy bringht haer kindt ter doodt.
Soo haest als ons de sond'
Haer duyſterheydt aensondt/
Quam 's werelts lupſter booyt
Verciert meer dan 't behooyt.
Maer in het duyſter graf
Gaet al den lupſter af.

Sic

Sic decipit orbis.

Phls de Mallery fecit. *I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.*

XVI.

Sic decipit Orbis.

VItro iudice quid puelle rursus
Metiris pumilum, stupesq; corpus?
Pygmæis licet artubus, nec vno
Sis maior cubito, genus Molonum,
Illorum bipedalium Molonum,
Appendix hominis, gruumq; præda
Cœli trans medias vehenda nubes;
Hoc Censore tibi videris Atlas,
Vel vicarius Hercules Atlantis,
Maior Encelado, Mimante maior.
Verte lumina, falleris Cupido:
In Mundo mera vanitas, nec vllo
Tot mendacia prodiêre vitro.
Fraus ipsa in speculo moratur isto,
Fraus quâ cæruleo sub amne visi
Crescunt Naïadum sub amne vultus,
Quâ post nubila, nubiumq; partus
Pallescens soror, atque mima fratris

Maiori radiat Diana fronte.
Censor pessimus arbiterq3 Mundus.
Pellæus domitor soli, saliq3
Semen credidit esse se Tonantis;
Hausto tabuit ast vbi veneno,
Genus credidit esse se Philippi.
Mundus decipit arbiter superbos.
Ille Palmiferæ Tyrannus oræ,
Procrustes, Scinis, impius Tyrannus,
Herodes amor omnium improborum,
Herodes odium omnium proborum,
Clarus murice, clarior Pyropis,
Astris æmulus, æmulusq3 Soli
Suadæ flexamino tonabat ore;
Et iam tota dabant Theatra plausum;
Nec credi Deus abnuit Tyrannus,
Deus credidit esse vel Tyrannus.
Heu! nulli licet esse diu superbo;
Iræ Cœlitis aduolat Minister
Spargens artubus omnibus venenum,
Et dum vermibus esse iussit escam,
Herodem speculum esse iussit Orbi,

Men-

Mendax quem ſpeculum fefellit Orbis.

XVI.

Ce petit Myrmidon en taille, & en poſture
Paroiſt en ce cryſtal vn releué geant:
Voy-là Monde tes arts, voy-là ton impoſture;
Couurir du cache-nez des grandeurs ton neant.

XVI.

Als ons des Werelts ſchijn
Maeckt grooter dan wy zijn;
Weet dat de werelt lieght/
Ghelijck dit glas bedrieght.

Sic lusibus aptior orbis.

Ioan. Crobbaert exc. cum Priuilegio.

XVII.

Sic lusibus aptior orbis.

SI quem superbis auxit honoribus,
Et invidendo Fors posuit loco,
Ponat tumorem, nec salutem
Arbitrio popularis auræ
Confidat, Euris dulcè furentibus.
Dat illa ludos Nereïdum gregi
Phaselus, imprægnata ventis
Cûi nimiùm tumuêre vela.
Fortuna longâ nota Tyrannide, &
Ludum proteruum ludere contumax
Et donat, & tollit secures,
Inq; throno locat, inq; turbâ:
Vt turma follem ludicra suscitat,
Intus coacto quæ tumet Aeolo,
Iamq; ima, iam suprema verrit,
Nec spatio requiescit vno.
Pax nulla folli, nulla potentibus.
Pompeius, Orbis cûi fuerat pila,

Hoc Sortis est pila in duello
Carnifici data præda ferro.
Vento repleuit Gloria Cæsarem,
Cæsar repleuit sanguine Curiam.
Quot bellicis notus trophæis,
Tot celeber Marius ruinis.
Fortuna Crœsum turgida prodidit,
Victorq; Crœsi Cyrus, & vltimis
Formido, deînde risus oris
Fœmineas satiauit iras.
O mœsta diræ scena Tragœdiæ!
Tot clara Regum nomina, tot Ducum,
Dum sorte ventosâ tumescunt,
Sanguineo periêre ludo.

XVII.

Tien ferme Cupidon: par l'haleine d'Eole
Feray que ce ballon plus viſt, & plus haut vole:
Eſcoutez arrogantes hautaines bouffées
Seruent à ces bouffons de ieu, & de risées.

XVII.

Werelt is 't dat ghy weest
Het spel van dese Maeght/
Wie u soo ketst/en iaeght;
Schouwt op-gheblasen gheest
Dit is den bal van wint
Waer sy med' speelt/en wint.

Steuit vt ruat.

Phls de Mallery fecit. I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

XVIII.

Struit vt ruat.

FRustra es: quid Orbes Orbibus ingeris
Fortuna demens? Enceladi velut,
Rhœtique vesani labores
Pelion imposuêre Olympo.
Cœlo invidendis culmina turribus
Molire, & ipsis æmula nubibus;
E nube collis â superbos
Flamma vorax ruet in penates.
Sed ite flammæ tela tricuspidis;
Ludente Cœlo culmina concidunt,
Ludente Cœlo sidit omnis
In cumulum, tumulumq; fastus.
Sors cœca prisco regnet in Antio,
Humana certis fata rotis eunt,
Mens Orbe ludens insolentis
Vana Spei simulacra vertit.
Deo minorem te gere, Rex eris.
Spes temperatas lex quoque dirigit

Superna, subuertitq; Mundi
Artificem scelerum tumorem.
Sic dum supernis sedibus æmulas
Educit arces Iapeti genus,
Deiecit in præceps ab alto
Cœlituum malè cœpta lusus:
Sic exul astris Lucifer aureis
Traxit rebelles Aligerûm choros:
Fœlice sic pulsi vireto
Cum Patribus miseranda Proles.
In astra ructant dum tumidi minas,
Cadit suorum Sennacherib manu,
Mugitq; septenni in iuuenco
Assyrij dominator Orbis.
Immersit vmbris Antiochum tumor,
Dum bella Cœlo sacrilegus mouet;
Furoris hæres Iulianus
Tergeminâ perit ictus hastâ.
Time ruinam quisquis in æthera
Demens superbis cornibus arietas:
Impunè nemo fastuosis
In superos parat arma telis.

XVIII.

Si par vn beau ſemblant Fortune te mignonne,
Te careſſe d'honneurs, & mil eſtats te donne;
Craignez (ie la cognois) elle tient pour delices
De veoir ſes fauoris donner en precipices.

XVIII.

Hoe meer ghy hopt/en hoopt
Nieuw' eere/ghelt en goet;
Hoe eerder dat ghy loopt
Tot bal/en teghenſpoet.
In 't ſpel den meerſten hoop
Heeft meerſt den quaetſten koop:
Dat meerſt verheven ſtaet
Wordt alder-eerſt ghehaet.

Non

Non benè conueniunt.

Ioan. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

XIX.

Non bene conueniunt.

NOn bene conueniunt, nec corde morantur in vno
Cœlicus ille puer, terreus ille puer.
Non ea Thebanis micuit discordia flammis,
Non ea Tantaleis fratribus ira fuit.
Tam gerit hostiles Amor hic, Amor ille pharetras,
Pusio tam varias spargit vterque faces.
Hic stygiâ, hic superâ cor figit arundine, castis
Hic animat flammis, turpibus ille necat.
Luxq́ minùs tenebras, lucemq́ odêre tenebræ;
Eripit hic noctem mentibus, ille diem.
Vt perit in mediâ lactis loligine gutta,
Vt crystallineas sepia fuscat aquas,
Castus Acidalijs violatur ab ignibus ardor,
Horret Acidalios nec minùs iste rogos.
Sic mouet Errori longam Sapientia litem,
Ipsaq́ cum Bello Pax fera bella gerit.
Dissidet æterno Virtus, Vitiumq́ duello,
Non habitant vnos, Vitaq́ Morsq́ lares;

Hoc duce non erras, Cyprius te decipit error,
Dius Amor pacem, Cyprius arma colit.
Hûic Virtus, illi sunt noxia crimina cordi;
Hic reserat vitæ, mortis at ille fores.
Denique sic ipsos odium non odit Amores,
Vt Veneris prolem Cœlicus odit Amor.
Vnicus Orbe vno sit Sol, Amor vnicus; vno
Vnicus in regno Rex sit, & vnus Amor.
Ipse vides sculpto radios quem spargere cœlo
Sol priùs æthereâ fundet ab arce iubar,
Stella priùs falsis cælata lauabitur vndis,
Terraque sidereis iuncta vehetur equis,
Ipse vel inuiso succedet Olympus Auerno,
Omniaque in priscum sunt reditura chaos;
Quàm bene conueniant puer alter, & alter: Amores
Scis quando placido fœdere iunget amor?
Vix puncto hærentes vno, cum videris ambos,
Omnibus in punctis se tetigisse globos.

Ces

XIX.

Ces deux Amours se sõt en tout du tout cõtraires,
Ilz n'ont rien de commun, ilz viuent en diuorce:
Ioignez de poinct en poinct ces boules en con-
force,
Encor n'apoincteras tu rien de leurs affaires.

XIX.

Ghy saeght dees' bollen eer
Van punct tot punct een-paer;
Van desen knecht/en Heer
Ghelijck van simen waer.

Hic pessima; hic optima secuat.

I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

XX.

Hic peſſima, hic optima ſeruat.

Millenis Salomon ad abena altaria donis
In ſua cœleſtem vota vocarat opem:
Cùm Deus haud dubiâ, viſus ſub imagine ſomni
Opta ait, optatis Rex potiêre tuis.
Si te dona iuuent prædiuitis aurea venæ,
Copia te flauo nutriet in gremio.
Bellica ſi ſtimulis fodicet tibi gloria pectus,
Sub pedibus victor colla inimica premes.
Tempora viuendo priſcorum æquabis Auorum,
Soles innumeros ſi numerare voles.
Ad Sophiæ ſacros amor eſt accedere fontes?
Hæc tibi ſe plenis impluet vberibus.
Ille, probante Deo, Cœli mox dona popoſcit,
Et Sophiam toto ſtrenuus ore bibit.
Si Deus arbitrium faciat tibi muneris hujus,
Dic mihi, quæ voti ſumma futura tui eſt?
Quidquid contigero, fulvum vertatur in aurum
Saucius obryzo dicet amore Midas.

Da mihi Tithoni duplices, da Neſtoris annos,
Euclio congeſtas grunniet inter opes:
Par mihi ſit nemo, tua, Magne, ſuperbia dicet,
Sit me nemo prior, Cæſaris ambitio.
Regna Iouis coniux, Virtutem filia iactet,
Tyndaridis mœchæ vir volet eſſe Paris.
Omnes ducit Amor, nec voto viuitur vno,
Tam varius votum dum ſibi fingit Amor.
Turpia ſtultus Amor, nociturag3 munera poſcit;
Quæ proſint, Sapiens, caſtag3 curat Amor;
Alter dona vouet ſuſpenſi plena timoris,
Alter amat nullo ſaucia vota metu.
Par vanno *ſapiens ſibi ſcilicet optima condit,*
Par cribro *inſipiens peßima ſeruat Amor.*
Diſce puer, ſeu vina, dapes, vnguenta, choreas,
Seu Pylios optas, floſcule verne, dies;
Siue lubet torui calcatâ Pallade Martis,
Seu Veneris pulſo caſtra pudore ſequi;
Nec tibi præ Pluto Chriſtus, *præ crimine Virtus*
Nec tibi præ vili ridet Olympus humo;
Stultorum veteres augent tua nomina faſtos,
Noxia qui veris antetulêre bonis.

Elige

Elige Virtutem; dos eſt pulcherrima Virtus:
Vt ſapias, Sophiam cum Sapiente proba.

XX.

Que fais-tu Cupidon? ce ſont des bagatelles
Que tu recueill' icy, ceruelle ſans ceruelle;
Tu ſembles au tamis; ſuiuez ce ſage Amour,
Qui garde le meilleur pour s'en ſeruir vn iour.

XX.

Hoe wel dat oock dit kindt
Het beſte deel bemindt;
Daer is nochtans verſchil
In 't werck van deſen will':
Het quaetſte blijft in 't zift/
Het beſt' blijft in den wan:
Wacht u dan van ſijn dzift/
Houdt met den wijſten an.

Vana fuga est: cæux, quam fugis, hęret.

Ioan. Cnobbaert exc. cum Primilegio.

XXI.

Vana fuga eſt, Crux quam fugis, hæret.

LEx Cruce Romanos eximit Romula ciues,
Fixit in infami corpora ſerua trabe:
Romanus nemo eſt, nemo, mihi credite, liber,
Qui ſua dat Mundi colla premenda iugo.
Quiſque tuos patimur manes, o Munde, Cruces q3,
Nullaq3 non vllo gaudia felle madent:
Innumeras parit ipſa Cruces, nutritq3 Voluptas,
Eq3 Cruce innumeras Crux parit vna Cruces.
Marmora Siſyphijs hærent minus arcta lacertis,
Membra Ixioniæ ſunt minùs apta rotæ;
Et vicina minùs Tityo ſunt roſtra renato,
Pæſtanisq3 minùs ſpina marita roſis;
Quam ſua crux Mũdo: Crux pœnaq3, ſpinaq3 Mundi;
Cœce Amor, hærentes quid fugis Orbe cruces?
Teſtudo cochleam, ſtultus vitauerit vmbram
Antè comes mundi Crux, fuga vana Crucis:
Tolle tibi Mundum, & pennâ pete remige Cœlum,
Crux ſimul ætherium ſollicitabit iter:

Vtq3

Vtq; aries Phryxo, sic Orbi subijce tergum,
Crux aderit medio dura Tyranna mari:
Splendidus Assyrio conuiua recumbis in ostro?
Arbitra Crux cœnæ prima futura tuæ est:
Corpora das somno? Crux somni nescia tecum
In plumâ ponet nobiliore caput:
Nempe Theonino nunc liuor pectora morsu,
Ira Lycambæo nunc edit ore iecur;
Et nunc insomnes rodunt præcordia curæ;
Nunc cor ferrato pectinat vngue dolor;
Iam morbus rapidis depascitur ilia flammis;
Iam piger infuso serpit in ossa gelu.
Omnia quid memorem? Fabium lassare loquacem,
Vastaq; clamosi Stentoris ora valent.
Hûic infaustus Hymen, hûic proles degener est Crux,
Spes adeo sibi Crux, Crux amor ipse sibi est;
Agricolæ mentita seges, trabs naufraga nautæ,
Vulnera militibus, prodita signa duci;
Regibus est regnum sua Crux, locupletibus aurum,
Dum locuples arcæ, Rex timet vsq; throno.
Et dubitas Regum cur ardua vertice stet Crux?
Cur gerat inscriptas fronte moneta Cruces?

Maxima

Maxima regna Crucis: toti Crux imperat Orbi:
Vincere vis Orbem? vince, Cupido, Crucem.

XXI.

Ce limaçon collé à ſa cabane ronde
Ne s'en peuſt depeſtrer: veux tu porter le Mõde?
Bon-gré, mal-gré tu doibs porter ſa croix: c'eſt rage
De s'en vouloir deffaire, c'eſt fuyre ſon propre ombrage.

XXI.

Voor niet vliet deſen ſor
Dijn ſchaduwe, 't is ſpot;
De Schilt-padd' draeght haer huys/
De werelt draeght haer Cruys:
Treckt ghy de werelt aen/
Hoe kondt ghy 't Cruys ontgaen?

In cruce stat Secretus amor.

Ioan. Crobbaert excud. cum Priuilegio.

XXII.

In Cruce ſtat ſecurus Amor.

IN Cruce ſtat ſecurus Amor: *fremat Orbis, &*
Tutus Amor, greſſũ ſi Cruce firmet, erit. (Orcus,
Sic rident Boreæq́ minas, Euriq́ furores,
Culmine, Olympe, tuo qui poſuêre Larem.
Crux tibi Lar, & Olympus erit, ſi noueris vti:
Vſus, Amor, fac ames; ſtat Cruce tutus Amor.
Innumeris Orbem Sortis rotet orbita gyris,
Vt rotat inſani vorticis ira rates,
Vt per plana citus volitat ſola verbere turbo,
Vt rota præcipiti vertitur acta Noto;
Stat Cruce tutus Amor; Sors ſub iuga tranſit Amoris,
Quem ſibi Crux ſtantem ſubdere nulla poteſt;
Omniaq́ vt vertat, nunquam Sors vertet Amorem:
Qui viget in duris, omnia vincit Amor:
Verbera mille pluat crudis Tribulatio *flagris,*
Blanditias credet verbera, flagra iocos.
Vincula ſi manibus, pedibusq́ Anguſtia *nectat,*
Illi grata manus vincula, grata pedis.

Rodat dente Fames, *igni* Sitis *vrat, Amorem*
Nulla Fames *subiget dentibus, igne* Sitis.
Nudus *oberret humũ, mare naufragus, omnia sper-*
Siue perîcla *soli, siue* perîcla *sali.* (*net*
Sæuities *redeat Latijs bacchata theatris,*
Seu tua Maxenti, seu tua, crude Nero;
Iamq́ rogos animet, iam strictum in vulnera ferrũ,
Membra rogis, ferro *colla parabit Amor;*
Spicula carnificis vibret inclementia lethi,
Obuius in lethi *spicula curret Amor.*
Dulce mori. Spes vita *tuas tibi prodiga serua,*
Vita *Amor ipse sibi, spes sibi solus Amor.*
Ipsi adeò moueant cœlestes arma manipli,
Et vires Virtus *conuocet ipse suas;*
Desuper astra tonent, Styx fundo exæstuet imo,
Coniungatq́ suas Orbis vterq́ manus:
Stabit Amor, dum Crux se stabit amantibus ara.
Omnis in æthereo se liquat igne dolor.

Plu-

XXII.

Pluſtoſt esbranſlerez, raſant rez pied rez terre,
Le ſourcilleux ſommet d'vn rocher de la mer
Que ce petit garçon; il rira vos tempeſtes,
Si long temps qu'il aura la Croix pour ſa retraicte.

XXII.

Dat 's werelts meeſter-radt
Omringhele dees' ſtadt/
Dat kleyn en grooten windt
Beſtormt dit teer kindt;
De Liefde ſtaet op 't Cruys/
D'is boven dit ghedruys.

Ezzas: hâc itus ad illam.

Phls de Mallery fecit. I. Chobbaert exc. cum Privilegio.

XXIII.

Erras: hâc itur ad illam.

POrta patet duplex, præacutis horrida dumis
Altera, Daphnæis altera blanda comis.
Præsidet hûic Virtus, illi Victoria Carna est,
Has labor, has stat Honor peruigil ante fores,
Læta nec antè patent Victricis limina Lauri,
Transita quàm dederit spina cruenta viam:
Non secùs ac læui mensæ super æquore ludunt,
Ludicra quêis Italum voluere cura trochum;
Nec patet aduerso qui prænitet annulus auro,
Lignea nî ferro ianua sternat iter.
Hoc volo: fas nulli superos sperare triumphos,
Qui neget heroo pectore dura pati.
Scilicet vt veniat sine Sole, & puluere Palma?
Vt veniat nullo parta labore quies?
Scilicet vt nullo potiaris Olympia cursu?
Vt veniat nullo Marte cruentus Honos?
Scilicet in Graiâ debelles Pergama mensâ,
Et referas Phrygijs rapta tropæa rogis?

Scilicet absque armis veniat Lauinia coniux,
Italaq́ externis regna petita procis?
Sub dominâ meretrice excors vt viuat Vlysses,
Et repetat patrios, dulcia regna Lares?
Dissimulare virum muliebris cyclas Achillem
Pergat, & Hæmonijs Hectora raptet equis?
Alta triumphali scandas Capitolia curru,
Nec iaceant forti millia quina manu?
Per spinas, tribulosq́, per invia saxa, per ignes,
Sithoniasq́ niues, Caucaseumq́ gelu,
Per medias acies, per vulnera mille, necesq́,
Herculeâ Virtus tendit in astra viâ.
Absque labore nihil; venit empta dolore voluptas.
Quæ venit è duris palma, decora venit.
Ipse cui prono famulantur sidera nutu,
Proma cui totas gloria fundit opes,
Nudus, inops, exul (sic iussa Paterna ferebant.)
Aetherium duro tramite carpsit iter;
Temporaq́ infesto priùs induit vtraque sente,
Quàm tulit emeritis debita serta comis:
Quod Sceptrum æternâ stellarum luce coruscat,
In manibus quondam vilis arundo fuit.

Vul-

Vulnera ſtillarunt atro priùs horrida tabo,
Quæ modò tam multo lucida ſole micant:
Vnicus ad Palmam trames patientia; Palmam
Quiſquis amas, durum ne fuge mollis iter.

XXII.

Hola! paſſez deuant par ceſte affreuſe porte;
Car là ne ferez rien, ce ſera chaſſe morte:
C'eſt le deſtroict poinctu d'eſpines, & douleurs,
Qui fraye le chemin aux lauriers & honneurs.

XXIII.

Ghy doolt/ghy loopt verkeert:
Is dit dat 't ſpel u leert?
Wijt ghy dees' gouden glans?
Proeft eerſt den doornen crans:
Staet ghy naer 't eeuwigh goedt/
Ghy moet door 't teghen-ſpoedt.

Vincit qui longius abijcit.

Phls de Mallery fecit *I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.*

XXIV.

Vincit, qui longiùs abijcit.

QVisquis adhuc dubiæ meditaris præmia Palmæ,
Aspice quæ geminus munera præbet Amor.
Pusio vterque parem simili terit orbe palæstram,
Ah, quàm dissimilis pusio vterq; sibi!
Hic Veneris tenero lactatus ab vbere creuit
Inter Acidalias, ceu Sybarita, rosas;
At Thracum par ille, gelu duratus & vndis
Per spinas didicit currere, perq; niues,
Hic Bacchi, & Cereris molli nutritus in aulâ
Pellaces didicit, dulcia damna, iocos;
Esca fames illi, vinum sitis, otia sudor,
Cura quies, pugnæ ludus, arena schola.
Heu puer infelix impar congressus Achilli!
Nil profecturis viribus arma capis.
Vt tua diuulsis luxentur brachia neruis,
Nulla tuas cinget Palma, apiumue comas.
Victor *abit ludo*, qui longiùs abijcit Orbem,
Quo sine non apium, non tibi Palma placet.

Terram Terra ſapis, dedit hanc tibi Cypria ſponſam,
Hanc tibi perpetuo fœdere iunxit Hymen.
Hic tibi frater erat, Palmæ qui captus amore,
AEthereum Chriſto *dum duce diſcit iter,*
Audijt; hæredes vt egenos ſcripſeris, Orbi
Bella meis infer tyro ſub auſpicijs.
Hîc vultus rugas, ſuſpiria ducere pectus,
Hîc Iuuenis voti pœnituiſſe ſui.
O Mundi graue pondus Amor! Cælumq́, Deumq́
Perdere, quàm fluxas maluit Orbis opes.
Non ita quos multo conſperſit puluere Virtus,
Durauitq́ ſuo Cœlicus igne puer,
Teſtis Abram, teſtis Phariâ puer erutus vndâ,
Et duodena Deum turma ſecuta ducem,
Hic ſolium, ille ſolum, rem, ſpemq́ rei iſta reliquit;
Hic fuit Iſacidum Legifer, ille Pater;
Iſta triumphatum circumtulit arma per Orbem,
Quæq́ dedit terris iura, datura polo eſt.
Sic tibi proiecto veniet victoria Mundo,
Piſæo qualis puluere nulla venit.
Proijce, dum perdas; vicit qui perdidit Orbem:
Plus habet hîc palmæ, qui minus Orbis habet.

Iectet

XXIV.

Iectez bien loing de toy c'eſt œuf de Baſiliſque
Farcy de mille morts, ſi ne veux courir riſque;
Iectez diſ-ie de toy ceſte mondaine boule,
Celuy gaigne le ieu qui plus auant la roule.

XXIV.

Wie wint hier? 't kleynſte kindt;
Die 't verſt'ſte werpt die windt.
Wat is dit voor een eer
Cupido? ick ben te teer/
Ick ben ghevoedt met luſt
In ledighepdt/in ruſt;
Maer dit kleyn kindt is ſterck/
'T is op-ghebracht in 't werck.
'T is waer; maer 's werelts bol
Is windigh/brooſch/en hol.
'T is ſoo; maer dit 's oock waer/
Dat aertſch is balt heel ſwaer.

TYPVS

Hæc animant pueros cymbala; at illa viros.

Ioan. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

XXV.

Hæc animant pueros cymbala, at illa viros.

IMbre Cupido genas, gremiumq; Parentis inundat:
Quàm rectè in Veneris flet puer iste sinu!
In risum lacrymas sed visa crepundia vertunt,
Tinnulus & strepero qui venit ære sonus:
Vanum vana iuuant, puerum puerilia; dignum
Anticyrisq; tribus, ludibrijsq; caput!
Bis puer, & fungis fungus magis omnibus, Orbis
Cymbala præ cantu cœlite si quis amas.
An bene præ Phœbi laudatur fistula plectro?
Garrula num lœsum vincit oloris anas?
Auritâ de gente Midæ reor esse nepotem,
Cûi stat in Arcadicâ tam grauis aure stupor.
Quàm tamen, heu, raros abstergit cœlica fletus
Musica! sed vano tinnit vbi Orbe Venus,
Mille licet flendi causse sint, mille dolorum,
Exulat è vultu lacryma, corde dolor.
Terra procul patrijs te diuidit auia regnis,
Quæ toties noxis perdita regna tuis,

Iam

Iam tibi mors taxos, iam Styx tibi deſtinat ignes,
Et citat offenſi Numinis vrna reum;
Attamen vt rauco mulſit te murmure Mundus,
Nil ſcelus, exilium, mors, rogus, vrna monent.
Sed fugitiua nouo reuocas mox gaudia plectro;
Luctibus vt leſſum ſcilicet illa canant.
Quam metuo victor tumulet ne gaudia luctus!
Alternus pueris ſtatq́, caditq́ dolor.
Non ita, quos Virtus facit, & Sapientia canos,
Aut quos plena viro mens ſuper aſtra vehit.
Teſtis eris multis, Franciſce, è millibus vnus,
Millibus è multis ſed ſatis vnus eris.
Iam prope depoſitos graſſans funeſta per artus
Febris Apollineæ vicerat artis opem,
Ipſaq́ iam curis mens triſtibus elanguebat
Venturi nimio ſaucia fâcta metu;
Ah nimio! neque enim vllius ſibi conſcia culpæ,
Vna Parens veri quæ ſolet eſſe metus:
Et tamen vſque grami timor arietat impete pectus,
Nec recreent Mundi plectra, nec ipſa Venus:
Aſt vbi deſcendit ſuperâ citharœdus ab aula
Diuinoq́ ſacrum pectine pulſat ebur;

Diffu-

Diffugiunt morbi, ſedet altum mente ſerenum:
Maſcula nempe iuuant gaudia ſola viros.
Omnibus hæc mentes ſi muſica recreet ægras;
Perdet, quêis pueros mulceat, æra Venus.

XXV.

Le Monde enclochetté r'appaiſe Cupidon,
Vn follaſtre cymbal vn follaſtre garçon;
Mais les hommes de bien ſentent l'ame rauie
Par les diuins fredons de celeſte harmonie.

XXV.

Siet dit klepn wicht eens aen/
Sijn oogh ſkens staen vol waters:
Neen/neen; het is ghedaen/
De werelt is den klater/
Maer Venus hem med' ſtilt.
Dit's kinder-ſpel: maer wilt
Ghy man'lijck zijn van hert;
Verſoet all' uwe ſmert
Met hemelſche ghenucht/
Niet met een aertſch ghenucht.

Hâc

Hâc vincitur; illâc perditur.

Ioan. Cnobbaert excud. cum Priuilegio.

XXVI.

Hâc vincitur, illâc perditur.

ERgo iterum ad ludos? positis age seria nugis,
Si tibi sit Palmæ tanta, Cupido, sitis.
Fallimur: & sua sunt puerili seria ludo;
Seria, cùm ludit, prœlia bellat Amor.
Et sua victori sunt prœmia, pœna q̃ victo,
Illi Laurus, huic flamma, perenne lucrum.
Vincitur anticâ, (res est vel cognita lippis,
Et genus hoc ludi plurima turba colit)
Perdit, posticâ volucrem qui traiicit Orbem;
Si vero graderis tramite, Palma tua est.
Perdere vult nemo, nemo non vincere; ludit
Turba, sed Idalij deuiat arte Ducis.
Hoc duce Crœsus ait; Pluti me dona beabunt:
Scilicet hæc ludi Palma: Beatus eris.
Hinc res occulto vel aperto fœnore crescit,
Hinc Furina vncis artibus auget opes.
Quem parasitus Amor blæsæ poppismate linguæ
Fascinat, in solo est, inquit, amore quies.

Turpia

Turpia mox totâ venatur gaudia Cypro,
Et Thalamos vetitâ quærit, aditq; viâ:
Sponsus Penelopes, Remex vitiosus Vlyssei
Alcinoi Porcus de grege, leno Paris.
Est sibi qui sacros auro mercetur honores,
Est cûi sceptra dolo nata Tyrannis alat:
Prô pudor! innocuo vilet sine sanguine Palma,
Et iocus est rupto fœdere læsa fides.
Sed nullum malè parta beant, vel sceptra, vel aurum,
Aut honor, aut diti tota voluptа penu.
Scilicet æternis præfert qui terrea gazis,
Has perdit, fluxas dum malè cogit opes;
Luditur, & vanam lucri dum plaudit ad vmbram,
Serò lucrum Stygijs se videt esse rogis.
Sic auidos Palmæ fallit præposterus error;
Quisquis es, ad Palmam qua via, flecte gradum.
Vna via est Virtus, Virtus te sola beabit,
Sola tuas Lauri cinget honore comas.
Virtus delicias, Virtus parit vna triumphos,
Virtus fidereas vna ministrat opes.
Hâc duce si ludis, vincis, nisi luseris, erras:
Vincitur hâc, illâc perditur: O quid agis!

Le

XXVI.

D'vn treſ-eſtroict lien Daphne s'eſt mariée
Auecq le Dieu Vulcain, le meſpris, & la gloire:
Hola doncq! gardez vous de faire par là l'entrée,
Ou tu ſeras fruſtré du prix de la victoire.

XXVI.

Volght Veught/laet onrecht ſtaen/
Wit is de rechte baen/
Wit is den beſten ſin/
Hier in light het ghewin:
Wacht u van 't eeuwich bver/
Kieſt lieber den Lauw'rier.

TYPVS

Venturum exhorresco diem.

Iodn. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

XXVII.

Venturum exhorresco diem.

HEi mihi! quæ Circe vultum mutauit Amoris?
Dædala quò picto cessit ab ore Venus?
Quò dens oris ebur? niuei quò lilia colli?
Quò nitor, & geminæ lumina bina faces?
Quò rosa malarum, natiuaq; purpura labri,
Quæq; priùs posuit Gratia fronte Larem?
Quò coma defluxit flauentibus aurea cirris?
Quam velit esse suam Phœbus, & esse Charis.
Nulla manent priscæ puero vestigia formæ;
Squallidus at toto luror in ore sedet;
Os abit in rostrum, toto stant vertice plumæ,
Luminaq; in binis bina sepulta cauis.
Ascalaphum (falso nisi stet pro teste vetustas)
Sic turpem Cereris filia fecit auem,
Hostem lucis auem, dirum mortalibus omen,
Tristia dictantem funera, mortis auem.
At tibi non Hecates furor, aut mala gramina Circes
Mutarunt vultus, leno puelle, tuos:

Ast

Aſt Hecate peior, Circæâq́ arte Voluptas,
Queq́ timent teſtem crimina fœda diem.
Dulichius deforme gulæ ſic grunnio roſtrum
Debet, auaritiæ, quod micet aure, Midas.
Proderis è vultu: quid fruſtrà conderis vmbris?
Phœbus adeſt; luci te dabit orta dies.
Illa dies, Minos quatiet quâ cœlicus vrnam,
Et Themis ætherio ius dabit æqua foro,
Illa dies, cœcis quæ pandet operta cauernis,
Et ſi quid nigro nox tegit vlla ſpecu,
Illa dies, renum quæ ſcrutatura latebras
Eruet arcanos, Cypria furta, metus,
Illa dies, veri quâ teſtibus obruta cauſſam
Deſtituet Paphij Suada vel ipſa gregis:
Hæc tibi terrori eſt, timet hanc mens conſcia teſtem,
Hæc eſt quam refugis, Cyprie bubo, dies.
Sic metuit lucem, ſubſelliaq́ æqua Catonis
Autolyci è piceâ poſteritate nepos;
Sic fameſa ſacræ temerato fœdere tædæ
Venturi Coniux Coniugis ora timet.
Omne ſcelus pauidum eſt, refugit teſtemq́, diemq́,
Si nigra quid noxæ nox ſine teſte parit.

AEneus

AEneus est, nullo pallescere crimine, murus:
Si vis Orbe metum tollere, tolle scelus.

XXVII.

L'hibou, & le mondain, & la rate-penade,
Nourrissons de la nuict, le iour ont en horreur;
Ilz craignent que Titan par sa dorée œillade,
Descouurirat aux cieux leur infame laideur.

XXVII.

Wat is dit voor een uyl?
Is Venus kindt soo vuyl?
Is dit dat lieve kindt/
Daer elck is op versindt?
Nu sie ick wat daer schuylt:
Het sucht/ het beeft/ het huylt
Van vreese van den dagh/
Die (dat het oyt ontsagh)
Sal bringhen in het licht
Sÿn vuyl onkuysch ghesicht.

XXVIII.

Post tenebras Spero lucem.

Ioan. Cnobbaert exc. cum Priualegio.

XXVIII.

Post tenebras spero lucem.

EN tibi Cimmeriæ clarissima noctis imago,
Vel si quos habitat nox magis atra specus.
Solibus orba tribus gemuit Nilotica Memphis;
Sed tibi, Nile, diem quarta revexit Eos:
At Mundo æternis nox incubat atra tenebris,
Fax vbi nullius sideris vlla nitet.
Mille adeô rutilent Soles, & Sidera mille,
Et noua Lunarum millia dena micent;
Gaudet Amor tenebris, tenebras scelus auget; & ipsam
Mutat in vmbrosæ noctis opaca diem.
Ipse ego, cûi radiant tot claro in vertice Soles,
Lucifugâ hoc credor Iudice, lucis inops.
Scilicet Impietas naso suspendit adunco,
Si cûi teste Deo viuere suadet Amor.
Nox illi virtus, animi demissio torpor,
Paupertas sordes, Virginitasq; probrum,
Flagra, preces, gemitus, lacrymæ, ieiunia nugæ,
Mors iocus, Infernus fabula, sanna Polus.

Tempus erit, missō cum fulminis igne, videbis
Ipse tuas tenebras, Munde, meumq́ diem;
Cùm spretum mirata iubar turba assecla Mundi
Clamabit mœstis exululata modis:
Ergóne nos error recti de tramite flexit,
Nec Themis æqua duces prætulit vlla faces?
En qui tot ludos nobis fecêre, iocosq́,
Quorum vita fuit fabula, morsq́ probrum,
Nunc genus ætherium sortiti gaudia captant
Cœlituum densos inter agenda choros.
Nos salebras, tribulosq́, & inhospita saxa secuti
Fecimus à paruis ad mala magna gradum:
Illi, defixis animi inter Sidera curis,
Emerunt breuibus gaudia longa malis.
Sic illaudatos quondam laus debita, spretos
Gloria, & invisos spontè reuisit amor:
Nempe velut nostro cum Cynthius exulat orbe
Nulla Venus, oculo iudice, rebus inest;
Ast vbi noctiuagæ velamina detrahit vmbræ,
Tota Venus Phœbo cum redeunte redit:
Sic mihi, qui densâ Mundi gemo nubilus vmbrâ,
Ereptum referet lux inopina decus;

Lux toties imis mihi ſuſpirata medullis,
O mihi lux longis gratior è tenebris!
Lux, de quâ nullos ſperet nox vlla triumphos,
Eia veni, noctis iam ſatis, eia veni.

XXVIII.

Ce Diuin Cupidon, tout embraſé d'amour,
Deſcoche mil ſouſpirs apres ce beau ſeiour;
Mais celuy-là de peur tremblotte, & heriſſonne,
Pẽſant qu'en tout momẽt au Iugemẽt l'on sõne.

XXVIII.

Sal dan altijdt den nacht
Het klare licht verſmachten?
Sal 's werelts booſe macht
Altijdt de deught verachten?
Neen/neen: hier is den dagh/
Die Venus kindt ontſagh.
Des Godtdeels klaren dagh
Verlicht dat duyſter lagh.

Tinnit: inane est.

Ioan. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.

XXIX.

Tinnit: inane est.

NVlla viret Famæ, me Iudice, Laurea luco,
Nulla tuis rutilant, Herme, metalla vadis,
Nullus Acidaliâ lepor enutritur in aulâ,
Copiaq́ in cornu, Copia, nulla tuo est.
Ne mirare; boni fons mendax aret, egetq́
Fundere inexhaustas creditus Orbis opes.
Soluit ad hæc risu sua Cyprius ora Cachinno,
Et quasi maternum pulsat, amatq́ Penu,
Aut distenta salit velut agnus ad vbera, pleno
Aut stabulo Elæi pullus adhinnit equi.
Credula res Amor est; eluditur, & quia magno,
Magna sonat Mundus murmure, magna putat.
Magna sonat magno, sed inania munera, fastu:
Scilicet agnatum prodit inane sonus.
Nola cauum loquitur natiuis tinnula linguis;
Vocali speres massica nulla cado.
Et tamen vt fucis Dictæa sequentibus æra,
Murmure sic Mundi sit tibi fucus, Amor.

Pabula ſperaſti: quis inani pabula ab vmbrâ
Speret, & arenti fonte leuare ſitim?
Fallere: Pellæos fortuna ſecuta triumphos
Seq́, ſuæq́ dedit ſubdita Regna rotæ:
Nec tamen explerunt Pellæas æquora fauces,
Terraq́ ſat tantæ non fuit vna fami,
Sic decus Iſacidûm Salomon, ſic Perſidos aulæ
Ludibrium, fraudem faßus es Orbis, Aman.
Pleno in vtrumque ſinu ſe effuderat Orbis; at ille
Sceptra, & opes vanas credidit, ille nihil.
Vt ſomno deluſa fames dape gaudet inani,
Vt ficto cumulat Phantaſos ære ſinus:
Sic dominum quamuis tibi Sors tranſcripſerit axem,
Plutus opes, faſces Gloria, Fama tubam;
Mox vbi lux cæcas animi dimouerit vmbras,
Inuenies, magnum præter inane, Nihil.

Qu'eſt

XXIX.

Qu'eſt cecy Cupidon ? auſsi toſt que tu ſonne,
Le Monde retintant d'vn petit ton fredonne:
Oyez cecy Mõdain: c'eſt que le Monde eſt vuide;
Car iamais ne tintoit choſe du tout ſolide.

XXIX.

Hoe 's werelts ydel klap
V meer/en meer belooft;
Siet dat ghy deſen ſnap
Soo veel te min ghelooft.
Hoe meerder van gheluyt/
Hoe min dat 't vat beſluyt.

TYPVS

Omnibus hîc Deus est omnia; mane nihil.

Phls de Mallery fecit. *I. Cnobbaert exc. cum Priuilegio.*

XXX.

Omnibus hîc Deus eſt omnia; inane nihil.

AH! quæ lympha auidos animi reſtinxerit æſtus?
Quæ noua congenitam vicerit eſca famem?
Nil animo ſatis eſt; animo non ſufficit vni,
Quidquid alit diti Mundus vterq; ſinu.
Sic licet innumeros Nereûs Pater ebibat amnes,
Non tamen epotis exſaturatur aquis;
Sic nunquam congeſta rogus fomenta recuſat,
Quoq; data eſt maior copia, plura cupit.
Dum fugit è Pharijs gens Cœli cura cataſtis
Errabunda vago teſqua per alta pede;
Sola fames vbi, ſola ſitis regnabat, egeſtas
Sollicitos poterat figere ſola lares:
Munera, neſcio quæ, diuinis illita ſuccis
AEthra dat, Angelicâ munera piſta manu.
Nulla cibis inhians defraudant vota palatum,
Inq; dape hac omnis daps, ſapor omnis ineſt:
Non tamen hinc oculis ſaties, non auribus, vnus,
Hinc ſibi quæ carpat, gaudia guſtus habet.

Et quamquam ſatiet ſua ſenſum quemq; Voluptas,
Mens vocat abſentes inſatiata dapes:
Sic vbi ſquallentis deſerta per arida terræ
Tendimus in patrios deuia turba lares;
Nil cupidis ſatis eſt. Noſtris extorris ab oris
Cœleſtes ſatiat Copia proma domos.
Cinnama, thura, roſas, opobalſama naribus optas?
Elyſium dio fragrat odore nemus.
Auris ab Aönij pendet dulcedine plectri?
Auribus hîc dio pectine mella fluunt.
Ambitioſa gula eſt? Deus hîc conuiua, cibusq;
Inſtruit æternas cœlica menſa dapes.
Si color, & pictâ lux Iride lumina paſcunt;
Lux Deus eſt melior luce, colore color.
Si formoſa placet vegetis Chiaris addita membris;
Hîc Deus eſt membris gratia, forma, vigor.
Hîc auri, Famæq; fames anguſta queratur
Pectora; ſit licet hæc Cæſaris, illa Midæ.
His ſua mergat aquis Epicuri vota cupido,
Hoc Sophiæ flammas ponat in amne ſitis:
Scilicet vnus opes, Sapientia, Fama, Voluptas,
Omnibus hîc Deus eſt omnia, inane nihil.

Ipſe adeò veniat Nihilo ſi iunctus inani,
Expleat hîc Mundum Mundus, inane Nihil.

XXX.

Le Monde eſt vuide & vain ſans ſubſtance & moëlle,
Son bien eſt rien, ſa fleur vapeur, ſes perles greſle:
Foullez le donc au pied, careſſez la Cité,
Où Dieu eſt tout en tout par ſon immenſité.

XXX.

Al wat het lijf verciert/
Al wat de ziel verſiert/
Al wat van vreughden leeft/
Al wat de Werelt heeft/
Godt is 't hier al in al;
Laet vry dan 't aertſche dal.

Erit



Exit ex hoc æquior orbis.

Ioan. Crobbaert excud. cum Priuilegio.

XXXI.

Erit ex hoc æquior Orbis.

OMnia Dius Amor tentauit, & omnia, nisus
Hinc sibi spe Mundum subdere, & inde metu:
Effronti rigidus sed perstat fronte, nec vllis
Dat verbis victas, verberibusq; manus.
Vltimus en aries Crux, claui, spina, columna,
Funis, arundo, flagrum, lancea, sanguis, Amor.
Iam scio, iam ponet, bellorum semina, noxas
Mundus Cœligenæ factus Amoris amor:
Si quid inæquali gibbosum extuberat Orbe,
Protinus abraso tubere ponet onus:
Rex scelerum Tumor ipse cadet, cadet ebrius Euan,
Et consanguineo cum grege mœcha Venus.
Nempe coronato tibi vertice fulguret aurum,
Diuinum terebrent spinea serta caput?
Det sceptrum tibi gemma, Deo det inanis arundo?
Saxum illi, tibi sit sella curulis ebur?
Ille suo rubeat, tu sanguine Muricis? illum
Dedecoret vestis candida, te decoret?

Aurea te cingat torques, hunc ferrea? Christum
Vincula, te spirâ dite coronet onyx?
Diues opum Pariâ viuas trabeatus in aulâ,
Et patrio dicas Regia iura foro,
Ille domûs exsors, Regnisq́ extorris auitis,
Ille animam gelido sub Ioue nudus agat?
Dulce saporato te nectare proluat aurum,
Diaq́ myrrhatus asperet ora liquor?
Barbaries dios vellat recutita capillos,
Et struat in cirros ars tibi lena comam?
Sputa Deo eripiant, tibi det cerussa colorem?
Te speculi obtenebrent fulgura, vela Deum?
Plaudat amœna tibi manus, & pes Orgia, Christo
Clauus vtrimq́ manum figat, vtrimq́ pedem?
Somnus Amyclæo stertat tuus anser, Christus
Pendeat in durâ pervigiletq́ trabe?
Vt reseret cuspis Diuinum ferrea pectus,
Et tibi stet rigido vinctum adamante iecur?
Non ita: sanguis adest, qui fracto adamãte triumphet,
Quoq́ Amor exæquat omnia, tornus adest.

Raclez

XXXI.

Raclez Amour Diuin toutes ces finfreluches
Ces carcants, ces miroirs, ces ſceptres, ces em-
buſches,
Ces pieges des mortels; afin que le faux monde
Ne vienne à entraiſner aux enfers tant de mõde.

XXXI.

Wie ſoud' oft ſin/oft hert
In ydelheydt verblijden/
Aenſiende Chriſti ſmert/
Aenſiende Chriſti lijden?
Neen/neen: al 's werelts pracht
Wordt in dit bloedt verſmacht/
Dat in haer is verwaept/
Wordt hier al af-ghedraept.

Patet

TYPVS

Patet æthræ; clauditur orbi.

Ioan. Crobbaert exc. cum Priuilegio.

XXXII.

Patet æthræ; clauditur Orbi.

IO triumphe! Deus Cordis dominatur in aulâ,
Vicit Amor, clauſit Cor tibi, Munde, fores.
Nec prece, nec precio, nec Marte, nec arte, nec aſtu
In Cordis penetres, Cyprie leno, ſinus.
Ipſe adeò fuluum Mundus vertatur in imbrem,
Quo fertur Danaës imbre perîſſe pudor:
Cor Superis concors arx inſuperabilis, Orbis
Cum didicit blandos, munera ficta, dolos,
Cum didicit tot opum pretioſa perîcla, tot hamos,
Cum didicit Paphios felle madere fauos:
Nempe Magiſter Amor Cor cordi reddidit excors,
Et Gnydias caſto ſopijt igne faces.
Hinc modo cœleſtes toto bibit ore fauillas,
Hinc ſuperi ſolas excipit Orbis opes.
Ipſa Cor infernè clauſum natura recluſit
Deſuper, vt ſoli ſit ſera nulla Deo.
Cor, animamq; facit Cordi Deus. o age, Mundo,
Si tibi cor, cordis tu quoque claude fores.

Ita vouemus, ita ſperamus,
Ita de nobis ipſi promittimus,
Eiusq́ rei teſtes
Has quales, quales ingenij noſtri tabellas ad aras tuas,
S. P. IGNATI,
quaſi ſexennij tuis in ſcholis exacti
Minerual, ipſo feſti tui peruigilio,
Communi omnium Rhetorum nomine, & voto appendimus.

Ægi-

Ægidius Tellier. II. IV. XIII. XVI. XIX.

Balthasar Gallæus. X. XII. XXIV. XXVI. XXXI.

Gerardus van Rheyden. XXI. XXIII. XXXII.

Ioannes Waerenborch. VIII. XIV. XV. XVII. XVIII.

Ioannes Moretus. I. VI. XXVII. XXIX.

Ioannes Tissu III. XXV.

Nicolaus Coldenhoue, præter ipsam cum carmine Dedicationem, V. XI. XXVIII. XXX.

Philippus Helman. IX. XX.

Philippus Fruytiers. VII. XXII.

Ad maiorem Dei gloriam.
Anno Domini, 1627.

Pouf-

XXXII.

Poussez tant qu'il vous plaist, ce cœur faict à l'espreuue
Ne peust estre perçé, par ce qu'icy se treuue :
Mais si ce grand Tireur vient à darder ses fleches,
En moins de rien verras, qu'il aura faict la bresche.

XXXII.

Cupido/ruymt de baen/
Laet 's werelts boor vry staen;
Dit hert is al te herdt
'T en gheeft noch om u hert
Noch 's werelts slecht bestier/
'T is vol van Hemelsch vyer.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, Sereniſsimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit ac cauit, ne quis citra *Ioannis Cnobbari* Typographi Antuerpienſis voluntatem, libellum, cui nomen TYPVS MVNDI, aut contenta in eo emblemata, intra ſexennium in Belgio imprimat, aut alibi locorum impreſſa in Belgium inferat, venaliaúe exponat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum atque laminarum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ Anno M. DC. XXVII. die 16. Iunij.

Signat

Steenhuyſe.

APPROBATIO.

EGo infrà ſcriptus legi libellum hunc, ſeu Typum Mundi Emblematicum verſibus illuſtratum à Rhetoribus Collegij Societatis IESV Antuerp. Qui cùm & argumento ipſo vtilis, & iconū, carminumq; amœnâ varietate non iniucundus ſit; ad exornandā, animandamq; ad pares ſubinde luſus, & ſtudium iuuentutis induſtriam, luce & prælo dignum iudico. Antuerpiæ 1627. 2. die Auguſti.

Zegerus van Hontſum Canonicus & Eccleſ. Cathedralis Pœnitentiarius, librorum cenſor.

ANTVERPIÆ,

APVD

IOANNEM CNOBBARVM

M. DC. XXVII.

SPECIAL 93-B
7354-1